



# The Holy See

---

PIUS PP. XEPISTOLA

## AD EPISCOPOS BORUSSIAE OB SOLEMNIA BONIFACIANA\*

DILECTIS FILIIS NOSTRIS  
GEORGIO TIT. S. AGNETIS EXTRA MOENIA  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP  
EPISCOPO VRATISLAVIENSIS  
ET ANTONIO TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER  
ARCHIEPISCOPO COLONIENSUM CETERISQUE VENERABILIBUS FRATRIBUS  
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REGNI BORUSSICI

*Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres,  
salutem et Apostolicam benedictionem.*

Vestras e Fuldensi congressione litteras, summi erga Nos amoris, coniunctissimaeque cum Romana Sede voluntatis indices, non sine ingenti delectatione legimus, facileque fuimus in ea sententia roborati, benevolentiam, quam Borussiae Pastores et catholicae istae plebes a Nobis persentient, vere esse promeritam. Etenim quae Ipsi a vobis potuissemus expetere, quaeque gratum fuissest pro opportunitate commendare, nempe ut in primis religionem coleretis quotidie ardenter, deinde ut arctius in dies Pontifici Summo adhaereretis, ea sunt in antecessum praestita a vobis, sive per ipsam significationem pietatis in peractis celebritatibus insitam, sive per iteratum erga Nos communis observantiae testimonium. Multum profecto Bonifaciana solemnia habuere utilitatis: plurimum vero pollicentur etiam in posterum, propter expectandos praesertim e confirmato fidei studio fructus. Eum porro, qui caelesti deprecatione sua hanc talem spiritui vestro et solatii et incrementi ubertatem creavit, fidimus adstitutum assidue vobis, quum concepta, pro amplificanda religione, proposita nitetur unusquisque vestrum perficere. Nostram interea et probationem excipite et laudem, testisque dilectionis Nostrae Apostolica esto benedictio, quam vobis, dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, creditisque vigilantiae vestrae fidelibus peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum, die XV Junii MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XLI (1908), pp. 16-17.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana